

DE SACRIS ARCANIS
BEATAE VIRGINIS

IN EIUS ASSUMPTIONE, ET CORONATIONE

LATENTIBUS

LIBER DECIMUSQUARTUS

HOMILIA PRIMA.

Apte satis Ecclesiam catholicam Evangelium Marthae et Mariae Virgini in coelum assumptae accommodasse, adversus oblatrantes Haereticos palam fit.

Haeretici perpetui Ecclesiae catholicae queruli murmuratores, more suo, ut Iudas Apostolus loquitur, mussitantes, et obtrectantes, abusum clamitant, quod Evangelium de Maria, et Marthae sororibus Virgini in coelum assumptae perperam convenire videatur. Unde hic est sibilus venefici serpentis Bucerii haeresiarum: *Bone Deus quam misere torta est haec lectio, ut assumptioni dicat Virgini Christi matris responderet? Ex eo autem putant torqueri, quod nihil commune cum assumptione Virgini, immo multa et diametro pugnantia continere videatur: Magdalena hic adest sedens, Maria ascendens: Magdalena secus pedes Domini, Maria a dextris Christi: Magdalena deflens peccata, Maria gaudens, quod nunquam peccaverit: Magdalena meliorem partem eligi in via, Maria praemium praeteritae electionis suscipit in patria: Marthae deinde turbatur, Maria summa pace, et tranquillitate perfruitur: Marthae fatigatur circa frequens ministerium, Maria intrat in gaudium Domini sui: Marthae de sorore conqueritur Christo, Maria ei congratulatur: Marthae reprehenditur a Christo, ut opinatur divus Gregorius, et divus Augustinus (in *conm. hui. loc.*). In coelo autem sicut nec minimo apice a ratione quispiam deviat, ita nullius increpationis vox persrepiat.*

Celerum supervacaneus, et inanis prorsus est istorum Haereticorum latratus, cum ob mul-

tas, easque praeclaras rationes Ecclesia catholica congrue satis evangelium de Marthae, et Mariae, Deiparae assumptioni adaptaverit. Prima sit, quam me docuit divus Antoninus (4. parte, *Summ. tit. 15 cap. 42*), quia cum eadem verba mysticum sensum contineant, et non solum literalem; et mysticus sensus ad pietatem alendam plurimum conferat, certe Ecclesia divum Paulum aemulans, persimili modo ipsa sacras literas accommodat. Sicut enim ille citans in sensu mystico Moysis testimonium: *Non attigabis os bovi trituranti* (1. *Tim. 5*), convertit illud ad ministros Evangelii, temporaria mercede non fraudandos, sed potius congrue alendos; ita verba illa: *Intravit Iesus in quoddam castellum*, praesenti festivitati Ecclesia catholica accommodat; ut significet, quod sicut ingressus Christi in domo Marthae, et benevola in suum hospitium receptio, initium fuit omnium honorum, quae illi supervenerunt; ita ingressus Filii Dei in domum Mariani uteri, ac per novem menses, virginis aeternae in hospitium exceptio, principium fuit, et origo, unde copiosissima in eum gratiarum fluenta emanarunt, et praeclarissimis postmodum gloriae dotibus exornaretur. Nam si quis prophetam suscipit, mercedem prophetae accipiet; quapropter maiorem censenda est receptura, quae prophetarum caput domo pudici sui ventris suscepit? Deinde illa verba: *Maria optimam partem elegit*, contendit Ecclesia catholica praeclare in beatam Virginem convenire: quia sicut illa in via meliora charismata semper est aemulata, et quod perfectius erat, semper eligebat; ita in patria potioribus gloriae bonis fuerit remunerata, atque adeo optimam omnium partem, tam in Ecclesia militanti, quam in triumphanti ei contigisse. His si adiungamus, quod Christus Dominus in iudicium venturus inter alias rationes, ob quas affirmat se in regnum coelo-

rum iustos suscepturum fore, illa memorabilis est (*Matth. c. 5*): *Hospes eram, et collegistis me*; consequens est, quod sicut beata Virgo coelestibus charismatibus exornata, illum intra virginium thalamum suscepit; ita et ipsa summis honoribus ab eo sit ad aethereum thalamum suscepta. Deinde sicut consuevit astrologis ad manifestandos coelorum motus, ortum, et occasum planetarum, eclipsum lunae, ascensum, et descensum solis hoc uti artificio, tum propter summam coeli distantiam: tum propter imbecillitatem humani visus, ut ligneam sphaeram conficiant, coelestes delineantem; in qua hic circulus lineam aequinoctialem, ille zodiacum cum suis omnibus signis: iste polum arcticum, et antarcticum, ursam maiorem, et minorem, et alia huiusmodi demonstrat. Et quamvis verum sit, quod sphaera signans, lignum est, signata tamen per illam orbem caelestem sunt: illa ex materia secunda corruptibili, isti aetherea, et incorruptibili. Ad eundem modum sacri Pontifices, velut spirituales Ecclesiae catholicae astrologi, ad manifestanda fidelibus varia arcana, quae in Mariano orbe latent, varios, ac regulares eius motus, potentiarum, vel planetarum, subordinationem, diversa virtutum illius astra, nuntiat lignea haec sphaera huius Evangelii. Attendite Martham, et Magdalenam sorores, quae vitae activae, et contemplativae operibus valde praeceluerunt: haec quid aliud designant, quam hoc duplici perfectionis genere actionis, et contemplationis beatam Virginem super omnes praefuisse? Attendite pietatem, qua Marthae suscipit hospitio Christum in domum suam; hoc plane delineat Virginem uteri sui hospitio Verbum divinum suscipiente. Observate tandem in hac ligneae sphaera motum solis, hoc est, Christi Domini, qui verus est Sol iustitiae. Observate, inquit, quanto amoris affectu Magdalenam peccatricem ad pedes eius procumbentem exceperit: hoc enim non obscure demonstrat, maiore incomparabiliter honore, et amore immaculatissimam Virginem omnis peccati experlem in coelestem Hierusalem suscepturam: ideo ergo Apostolica sanctione a sacris Pontificibus ordinatum est, ut in die assumptionis praesens audiat Evangelium. Rursus nemo est, qui ignoret, quod cum fideles a Turcis celeberrimam aliquam victoriam reportant, aliter quidem in curijs eorum, et principum christianorum parta victoria celebratur. In exercitu enim hostium, vexilla capta terra trahuntur, propria in sublimi eriguntur: buccinarum, et tympanorum clangor auditur: instrumenta bellica perstreperunt, bombardae personant, et caligine fumi aer obscuratur. Quae omnia se habent veluti imago quaedam adamusum exprime media, quibus hostiliis potentia fuit superata. At longe aliter in regalibus principum curijs victoria illa solemnissimum fit noctu variis luminaribus, quae noctem in meridiem convertunt, celebratur: die vero nobiles, equites in publicis plateis cursitant: certa etiam praefiguntur dies, in qua, omni populo adstante, praefulgentibus vestimentis amici, arundinibus iuter se concertant; quandoque vibrantibus hastis velut quoddam belli simulacrum in medium producentes, subli-

mes fornice eriguntur, arcus triumphales construntur, et similia alia laetitia signa pro celebranda obtentae victoriae palma in publicum prodeunt. Non dissimiliter, cum hodie die Deiparae Maria post partum de demone victoriam, cuius caput, velut aera Iudith, contrivit, gloriose triumphans, in coelum ascendat; aliter in Ecclesia triumphante, quam in militante convenit, illa celebrari. Ibi quidem coelesti melodia, angelicis canticis, regio apparatu, imperiali pompa, at decet tanti loci maiestatem; hic autem tanquam loco militiae, non nisi strepentes armis vitae activae, et contemplativae, quibus Deipara victoriam comparavit, debet celebrari; et ideo convenienter satis Ecclesia catholica in hac solemnitate praesenti utitur Evangelio. Memini percelebris illius pictoris Titiani in depingendis imaginibus mirum in modum eam commendatam industriam, ut nimium ad eas intendas appropinquanti, imperitiae, deferres, ac multis literis deturpatae viderentur, at e longinquo loco illas insipienti, earum pulchritudo, egregia membrorum compago, ac praeclara forma manifeste detegebatur. Ad eundem certe modum nobis faciliendum est. Proponit nobis hodie die divinus Titianus, s. Lucas, qui arte pingendi valde claruit, egregiam huius Evangelii imaginem; eo tamen singulari artificio elaboratam, ut si quis nimium ad eam intendum appropinquet, literae solum corticem considerans, nihil certe cum prototypo, hoc est, cum Maria in coelum assumpta, commune sibi videatur habere; in scopulose Haereticorum incidat, asserentium, dissentaneum, et incongruum esse praesens Evangelium gloriosissimae Deiparae assumptioni. At si contra a literae cortice sensum elongare satagat, mysticum sensum attendens; quia, ut ait Paulus: *Litera occidit, spiritus autem vivificat*, miram huius imaginis cum prototipo conformitatem deprehendit, prout illam sanctos Patres deprehendisse ex eorum testimonio facile convincunt. D. August. et Beda (*de Beat. Virg. assum.*) agentes affirmant, quod quia Ecclesia militans varios labores perferens, vestigia Marthae sectatur, et Ecclesia triumphans requiem Marthae amplectitur; et in utraque haec Ecclesia beata Virgo meliorem partem elegit in praesenti gratia, et in futura gloriae; ideo apte evangelica haec lectio in illam convenit. Divus Anselmus (*homil. sup. hoc Evang.*) haec scripsit: *In Scriptura sacra res una, et eadem multoties intuentur, diversa significare. Sicut leo, haedus, ignis, aqua, vel etiam sol, et alia multa. Est enim leo de tribu Iuda: et est leo, qui circum quaerens quem devoret. Est haedus emissarius, qui peccata nostra portavit: et est haedus a sinistra, qui damnatur. Est ignis, quem Dominus misit in terram, et quem vult, ut ardeat: est ignis, qui super impios cecidit, ut non videant solem. Est aqua, cuius flumina fluent de ventre credentis: est aqua, cuius tempestas nos demergit. Est Sol iustitiae, qui nos illuminare solet: est sol, qui nos urit per diem. Licet ergo castellum, alias malum significet, ut illud, de quo dicitur: *Ite in castellum, ubi, et quod additur, quod contra vos est, plane ma-**

nifestat, quid significet. Tamen hoc castellum, in quod intravit Iesus, singularem inemeratam Virginem eiusdem Iesu genitricem, salva Scripturarum regula per similitudinem accipimus. Castellum enim dicitur quaelibet turris, et murus in circuitu eius, quae duo esse incipere defendunt; ita ut hostes per murum ab arce, et a muro per arcem arceantur. Huiusmodi castello non incongrue Virgo Maria assimilatur; quam virginitas mentis, et corporis, quasi murus, ita undique callavit, ut nullus unquam libidini esset eam accessus, nec sensus eius aliqua corrumperentur illecebra. Et quia virginitatem, cum libido non possit, solet impugnare superbia, est in eadem Virgine turris humilitatis, quae a muro virginitatis omnem repellit superbiam. Divus Bernardus (serm. 4. de assumpt.) aliam tradit his verbis rationem, dicens: *Ut quid ea hodie in Ecclesia Christi evangelica lectio recitatur, in qua mulier benedicta in mulieribus excepisse intelligitur Salatorem? credo ut haec, quam celebramus, ea illa susceptione aliquatenus nescitur; immo, ut iuxta illius inaequabilem gloriam inaequabilis cognoscatur, et caet. Beatus Abbas Guericus s. Bernardi dilectissimus discipulus, ac strenuus aemulator (serm. 4. de assumpt. Virg.), postquam dixerat: *Mariam optimam partem elegit, statim subiicit: Hoc de Maria sorore Marthae scriptum est. Sed in Maria matre Domini hodie plenius, et sanctius impletum est. Hodie namque beata Virgo Maria optimam partem elegit; immo quam dudum elegerat, hodie perpetuo possidendam accepit, ut scilicet inseparabiliter adhaeret Domino, perenniterque fruatur Dei Verbo. Nec alienum, aut incongruum, si quod de illo Maria dictum est, in istam transsumatur, cum ad convenientiam transformationis, similitudo non solum nominis, sed etiam operis suffragetur: illa siquidem Dominum hospitio recepit, haec utalano suscepti uteri; et qui creavit me, inquit, requievit in tabernaculo meo. Illa sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius: haec sedula circa curam humanitatis eius, conservabat omnia verba, quae de illo erant dicta, confersus in corde suo. Ac tandem Eusebii Emisensis (serm. de assumpt.) haec tam pie, quam erudite in idem argumentum scripsit: Merito sancti Patres constituerunt, ut in hac sollemnitate beatae Virginis Mariae hoc Evangelium legeretur, quae specialiter quidem per has duas mulieres significatur. Ipsa enim inter omnes creaturas beatissima Virgo, utriusque vitae, activae scilicet, et contemplativae, plus ceteris omnibus privilegia custodivit. Ipsa quoque sicut Martha, immo melius quam Martha, suscepit Christum non solum in domum suam, verum etiam intra claustra uteri sui. Ipsa eum concepit, ipsa eum genuit, ipsa eum peperit, et portavit, et postquam Martha, et frequentius ei ministravit. Ipsa denique, sicut Maria eius verbum non solum audiebat, verum etiam in corde suo conservabat, nobisque ad legendum, et audiendum custodiebat. Concors igitur est horum omnium Patrum, et doctorum sententia, inter alia plerique eo praecipue nomine praesens evangelium huic festivitati congruere, quod Martha, et Maria vitam activam, et contemplativam adunbrent, quae in b. Virgine sum-**

mo splendore emicuerunt. Unde videtur mihi illam Sponsi pollicitationem nunc impleri (Ca. 1): *Murenae aureas faciemus tibi, verniculas argento. Consulo omitto explorare, an murenae istae significant veras gemmas uno filo insertas; aut sigilla perexigua ex auro, et argento conflata; vel catenas, instar murenarum, confectas. Taceo etiam, an murenae istae inserviant ornamento aurium, ut quidam voluerunt; aut certe colli, ut sensit divus Bernardus (serm. 41. in Cant.). Solum in elucidatione huius loci, quae nostro argumento congruit, apponam. Septuaginta Interpretes in hunc modum illum vertunt: *Similitudines aureas faciemus tibi cum punctis argenti; hoc est, sanctos, tam veteres, quam novi testamenti in modum poteram, qui sunt imagines, et similitudines eximiae tuae sanctitatis; ex quibus digoscere possimus heroicas tuas virtutes. Quia vero sancti per has imagines designati interior, et exteriori sanctitate nituerunt; eorum vero sanctitas potius in interiori, quam in exteriori actu sua erat; ideo illi, Murenae aureas fore argenti, quasi quibusdam punctis elaboratas. Quia tamen impossibile esset singulorum virtutes recensere, Ecclesia catholica proponit hodiernum evangelium de Martha, et Maria, quae symbola extiterunt vitae activae, et contemplativae, ad quas omnia virtutum genera revocantur, quibus b. Virgo maxime praefulsit. Iuxta mentem ergo catholicae Ecclesiae erit, ut de vita activa, et contemplativa beatae Virginis disseramus. Iste enim fuerunt ei, velut illae duae columbae pennae, quibus tanquam vetricis ramum olivae defrensus in coelestem Hierusalem evolavit; vel ut duae illae manus, quae regium Salomonis templum exornabant: vel ut duae illae famulae reginae Hesther, quibus inuelturum: vel ut duae illae virgae Zachariae, quarum unam vocavit decorem: alteram fumentum. Vel tandem, ut duo pondera, quibus regularissimum Mariae horologium movebatur. Et quidem, ut a vitae contemplativae exercitio, cui deipara ab exteriori occupatione nihil praepedit, incessanter vacabat, tractationem hanc auspicemur, revocate quaeso in memoriam sententiam illam divi Gregorii (lib. 25. moral. cap. 13.) asserentis: *Cuncta Deus suae naturae potentia quietus operatur, cui etiam consonat illa alia divi August. (lib. 1. conf. cap. 4) dicentis: Deus semper agens, semper quietus, quibus verbis voluit Patres hi, Deum suae contemplationis quiete perfruente, externa haec omnia administrare; atque adeo suo modo Deo competere rationem vitae activae, et contemplativae, in quo sane coelestis illis spiritus video illum imitari: nam, ut ait divus Thomas (2. 2. q. 81. art. 4. ad 2), angeli secundum quod intendunt administrationi inferiori creaturae, habent aliquid de vita activa. Unde factum vidit eos ascendentes, et descendentes, quod pertinet ad contemplationem, et actionem. Sed, sicut dicit d. Gregorius (2. moral. cap. 2), non sic a divina visione foris exeunt, ut internae contemplationis gaudis priventur; et ideo in eis non distinguitur vita activa a contemplativa. Ad eundem ergo modum Dei-***

para Virgo non solum angelicae, sed et divinae conditionis vero aemulatrix, eam vitae sanctimoniam attigit, ut vitae activae operibus exleris, instar Marthae, vacans, altissimae contemplationis luce, et pace, necnon et supereraphico amoris incendio nunquam caret. Unde d. Hieronymus, vel Sophronius (serm. de assumpt.) ait: *Puto, quod quicquid cordis est, quicquid mentis, quicquid virtutis humanae, si totum adhibeas, non sufficit, ut cogitare valeas quanto indesinenter cremabatur ardore pii amoris, quantis movebatur, repleta Spiritu sancto, coelestium secretorum incitamentis. Quia etsi diligebat Christum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota virtute; novis tamen quotidie inflammabatur praesentia absens desideriorum affectibus. Tanto siquidem calidius, quanto divinis illustrabatur intus visitationibus: quam totam pleverat Spiritus sancti gratia: quam totam incanduerat divinus amor, ita ut in ea nihil esset mundanus, quod pioletur affectus, sed ardor continuus, et ebrietas perfusi amoris. Nam et Christus ab omnibus est amandus ex toto corde, ex tota anima, atque ex tota virtute querendus, maximo tamen ab ea ardentius, cuius et Dominus erat, et filius. Confirmat haec omnia Rupertus Abbas, (qui libro quinto in Cantica in principio) explicans verba illa: *Ego dormio, et cor meum vigilat, ait: Quid hoc est aliud, nisi illud ipsum, quod alibi dicit habitatrix pectoris tui, Sapientia Dei: In omnibus requiem quaesivit? Et quid haec sunt: Ego dormio, et in omnibus requiem quaesivit? nisi, optimam partem eligi, relictis cunctis solitudinibus, vel curis saeculi? Et quidem multae fliae, sive mullae animae taliter dormiunt, vel dormire cupiunt; sed tu dormitionis huius totum obtines magisterium, et vigiliarium cordis totum tenes principatum. Quid aliud nobis in Psalmo loquitur ibidem dilectus dicens: *Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus? Hoc namque idem est, ac si diceret: Vos dormite, et cor vestrum vigilet. Intelligimus igitur quid dicas: ego dormio, et cor meum vigilat. Scilicet, quia talia nobis, ut sequamur vitam tuam, esse insinuas, qualis in patre tuo Jacob, quasi per unbrum significata es: qui et ipse quando dormivit, tunc cor eius vigilavit: sicut scriptum est: *Cunque venisset ad quendam locum, et cecidit in eo requiescere, tulit de lapidibus, qui iacebant; et supponens capiti suo dormivit in eodem loco; viditque in somnis scalam stantem super terram, et cacumen eius tangens coelum; angelos quoque Dei ascendentes, et descendentes per eam, et Dominum in altum scalam. Et de paucis interpositis, concludit dicens: *Sed o tu coelum Dei, unica sedes Domini in utroque vigilantiae modo cunctis mortalibus, sive terrenis hominibus, longe eminentior exististi: longe studiosior ad contemplandum eum, in quem desiderant angeli prospicere, atque aptior fuisti? Quid ergo tu cum hominibus, quancvis sanctis? quid tu loqui, vel concersari cum mortalibus, quancvis Apostolis? cur non potius, tanquam turtur castissima, turtur solivaga solitudinem caepetisti remotior, quam Ioannes Baptista: secretor, quam Helias, ut soli te scirent, tibi que famularentur angeli sancti: non ad horam,*****

sicut angelus Heliam semel, et iterum pacit; neque ad tempus, sicut eundem corvi poverant ministri; sed ingitit, donec tuis completis debus ad transferendam te in coelum aethereum, non unus tantum currus igneus, sed totus cum rege suo filio tuo veniet atque occurreret angelorum exercitus; hactenus Rupertus.

Porro iam varia vitae activae exercitia, quibus beata Virgo contemplationem non interrompente, vacabat, commemorare incipiamus. Perantiquus auctor Pomerii (lib. 7. par. 1. art. 3) haec, quae sequuntur, multorum doctorum auctoritate contestata nobis reliquit: *Totam vitam, inquit, suam expendit in opere bono; ut enim de ea scribitur concorditer Epiphanius, Germanus, Ignatius, et ceteri Hieronymus in epistola ad Cromatium, et Helvidium, haec regulam Virgo beata in tota sua vita sibi staterat, ut hora matutina quotidie surgeret, et usque ad mane continuo, ac incessanter oraret. Ab aurora cogitabat de filio suo omnia mysteria, scilicet conceptionis, natiuitatis, baptismi, ieiunii, passionis, sepulturae, resurrectionis, ascensionis, etc. et gratias ageret Deo de tam pia liberatione humani generis. Illucescente die usque ad tertiam, loca mysteriorum Christi prope Hierusalem existentia, vel intra, devotione sedula atque exacta. A tertia vero usque ad horam nonam tetratino operi se occupabat. Fertur Viennaese esse unum cingulum, quem in propria domo dicitur levisse; et qui eum viderunt, narrant, nunquam illo pulchriorem videri potuisse. Item a nona ab oratione non recedebat, quoadusque illi angelus appareret, et escam offerret, quam solebat de manu eius accipere cum gratiarum actione. Nec mirum hoc, quoniam si filios Israel Deus pavit manna quadraginta annis in deserto angelicis manibus praeparato, et Heliam ascendente in montem Horeb; quanto magis illud credendum est de Virgine matre? Esca igitur, quam Virgo de manu angelus accipiebat, ipsa reficiebatur; quae vero a Pontificibus accipiebat, pauperibus erogabat. Sed et quicquid labore manuum acquirerebat, pauperibus distribuere. Sedulus quoque dicit, quod iuxta lectuli eius caput erat una sedes, ubi libri stabant, quibus somnum interrumpente saepe saepe legebant. Erat ibidem et oratorium, ubi ingitit orationem, et contemplationis insistebat. Unde patet, quia nullum fuit tempus, nulla hora, quin vtriusque in Dei servitio, et merito acquirendo non foret occupata. Quod autem hic auctor narrat de sacris locis a beata Virgine religiose visitatis, confirmant Vincentius, Antonius, et Dionysius, Abbas Guericus, et Hildefonsus relati a Canisio (lib. 5. de Dog. cap. 1). Hi enim doctores affirmant, quod b. Virgo Calvariae rupem, ubi crucifixus est Dominus, ascendebat, ut locum impleret lacrymis, in quo Christi sanguis peccata diluens, de cruce distillaverat; tum ad speluncam Salvatoris ingressa, sepulcrum eius venerabatur, simulque resurgens filii gloriam adorabat. Cum porro ad montem Oliveti ventum esset, unde Christus in coelum ascendit, impressa pedum eius vestigia desceulabatur. Arridebat illi Bethleem, quam sui puerperii testem gaudebat aspiciere, ubi angustissimum illum partum pon-*

nis involverat, et praesepti imposuerat, et pastoribus ostendebat, ac a Magis viderat adorari. Placebat Nazareth civitula, flos, ut sic dicam, Galilaeae: prima, et diuturnior sedes Emmanuelis, qui non solum illic conceptus, sed etiam nutritus, iucundissimam sui memoriam matri refricabat. Tum ad Iordanis fluenta pervenitis, cum voluptate secum animo reputabat, quid egisset Ioannes: quomodo, et ubi baptizasset filium: quae vox coelitus audita filium orbis doctorum creasset, omnibusque publice commendasset. Atque ob hoc ipsum in valle Iosaphat, ut putant, commorata est, ne a sanctis locis longe recederet; sed saepius eadem inviseret, quae Christus sua praesentia, totaque mysteriis, atque miraculis concerneret: Atque hoc, velut alludens Hieronymus, ut Marcellum ad loca Palaestinae sacra invisenda, id est, ad Mariam invensam invitet, haec utitur oratione: *Ergo ne erit illa dies, quando nobis liceat speluncam Salvatoris intrare: in sepulcro Domini flere cum sorore, flere cum matre, crucis deinde lambere liquam, et in Oliveti monte cum ascendente Domino, voto, et animo sublevari?* Sed clarissimus Sophronius (*serm. de Assumpt.*) dum ait: *Beata Virgo Maria, quaevis iam in spiritu esset, tamen dum in carne vixit, movebatur sensibus; et ideo quam saepe locorum recreabatur visitationibus: et quem generat, mentis complectebatur complexibus.* Ad haec cum Dominus ascendit in coelum, permulta tam doctrinae, quam consolationis verbo, et opere catholicae Ecclesiae impendit beneficia. Etenim Dominus matrem, et magistram, ipso discedente, reliquit superstitem, cuius dulcis praesentia omnibus in moerore solatium, in doctrina lumen, in certamine robur, in illis primordiis praesidium singulare praestaret. Multis autem modis expediebat, ac illius temporis Ecclesiae tenera postulabat, talem columam non statim suo moveri loco, sed potius annos aliquot ad totius mysticae domus fulcimentum, atque stabilimentum immolam persistere, ut ita Spiritus sanctus nulla, et praecleara per hoc suum electissimum organum in multis aegris ac sanis illius recens nati corporis membris poterit operaretur. Nec dubium sane, quin fida, et generosa mater de plerisque filiis optime sit merita, ut laudem non minorem sane atque illa Romana eiusdem nominis mulier promeretur, de qua Paulus (*Rom. 16*) id scriptum reliquit: *Salutate Mariam, quae multum laboravit in vobis.* Et vere multum fidelibus Deipara laboravit in primordiis illius Ecclesiae catholicae. Facta enim, tanquam oliva fructifera in domo Domini, et velut communis mater novae sanctaeque familiae, ut omnes lucrifaceret, omnibus sese accommodavit: aliquando verbis, et scriptis, nunquam per Apostolos, saepe fida preactione, suam erga proximum charitatem ostendit, labentes erexit, stantes confirmavit, humi iacentes susulit, contritos curavit, torpentes animavit, aegrotis opem tulit, velut et ipsa dicitur. Quotidie morior propter gloriam vestram fratres, quam habeo in Christo Iesu, non quare quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant. Unde sancta Birgitta (*in libris suarum*

revelat.) non semel affirmat, quod B. Virgo magistra fuerit Apostolorum, confortatrix martyrum, doctrix confessorum, clarissimum speculum virginum, consolatrix viduarum, in coniugio viventium saluberrima monitrix, atque omnium in fide catholica perfectissima doctoratrix: cuius demum verbis, studiis, ac operibus honestissimis effectum sit, ut innumerae Indaei, ac Ethnici ad Christi fidem converterentur. Hinc notat Emynsium (*in Evangel. de fest. Assumpt.*), Mariam, ut sapientissimam matrem, omnia verba in corde suo contulisse, nobisque conservasse, et memoriae commendasse; ut tandem ipsa docente, narrante, atque nunciante scriberentur, et universo mundo praedicarentur, cunctisque nationibus communicarentur. Moxque subiungit: *Ab ipsa enim haec Apostoli audiverunt, et ipsa dicente scripserunt, nobisque legenda mandaverunt.* Quis igitur evangelis non credat? quis eis contradicere praesumat, quae aut matris, aut filii auctoritate nunciatur? Quaedam enim Apostoli, et Evangelistae a matre Domini audiverunt, quemadmodum ista, et cetera, quae de Salvatore nostri infantia scripta sunt; plurima vero visu, et auditu a Christo Domino didicerant: cui rei maiorem fidem facit, quod erudite Rupertus admonet: duplex tempus, docendi, et loquendi videlicet, a Maria observatum, atque a nobis etiam in illa spectandum esse: *Quandiu, inquit, filius hominis manere debuit minoratus paulo minus ab angelis, fere tandiu fuit beatae Virgini tempus tacendi: et tandiu tacuit, tandiu in silentio fuit, velut hortus conclusus. Ubi autem gloria, et honor coronatus est filius hominis, resurgendo, et in caelos ascendendo, ubi sedet ad dexteram Patris, tunc eidem beatae Virgini tempus fuit loquendi, et hoc amicis, idest sanctis Apostolis, et talia loquendi, qualia prius portare non potuissent. Ubi venit Spiritus veritatis, primus quidem, et princeps ipse, illos omnem veritatem docuit: sed et ipsa beata Virgo testimonium suae vocis adhibuit, et taliter locuta est auribus fidelibus, ut proinde recte dicat: dilectus eius sapor distillans labia tua, mel et lacte sub lingua tua. Ceterum non solum viva voce, sed scriptis etiam suis Deipara multum fidelibus profuit. Extant enim variae Epistolae ab ea scriptae, tum ad Episcopum Antiochenum, tum ad urbem Messanensem, tum etiam ad Florentinam, quas mox apponam. Quoniam vero duae illae ab Ignatio Iohanni scriptae beatissimam Virginem valde commendant, non erit ab re huc eas transferre: sic enim habet prior:*

EPISTOLA SANCTI IGNATII MARTYRIS
AD DEIPARAM.

Christiferae Mariae suus Ignatius.

Me Neophytum Iohannis tui discipulum confortare, et consolari debueras: de Iesu autem tuo percepi innumera dicta, et stupetactus sum ex auditu; et a te autem, quae semper ei fuisi familiaris, coniuncta, et secretorum eius conscia desidero animo feri certior de auditis.

Scripti tibi alias, et rogavi de eisdem. Valeas, et Neophyti, qui mecum sunt, ex te, et per te, in te confortentur. Amen.

EPISTOLA DEIPARAE RESPONDENS IGNATIO

Ignatio Iohannis discipulo, humiliter Ancilla
Christi Iesu.

De Iesu, quae a Iohanne audisti, et didicisti, vera sunt: illa credas, et illis inhaereras, et christianitatis votum firmiter teneas, et mores, et vitam facto conformes. Veniam autem a cum Iohanne te, et qui tecum sunt visura. Sta et in fide viriliter, nec te commoveat persecutionis austeritas, sed valeat, et exaltet spiritus tuus in Deo salutaris tuo. Amen.

Extant et alia duae epistolae b. Virginis, quas Messanenenses, Florentinique se accepisse gloriantur a Deipara missas. Est autem ad Florentiam scripta, quam pro concione est interpretatus Hieronymus Ferrarionis in eadem urbe die 25 octobris, anno Domini 150 exemplar huiusmodi est.

Florentia Deo, ac Domino Iesu Christo filio meo, et mihi dilecta tene fidem, insta orationibus, roborare patientia; his enim sempernam salutem apud Deum, et opud homines gloriam consequeris.

Alteram vero epistolam ad Messanenses occasio scribendi haec fuit, ut tradunt Mutius (*l.c. 13*), et Laurentius Maselli (*l.d. b. Virg. 18*), dum Paulus Romam proficiscens, esset Rhegii: rogatus a Messanensibus, duas habuit conciones, unam de incarnatione Verbi, et de Mariae virginitate alteram adhuc viventis; qua excitati, duos miserunt nuncios Hierosolymam, protectionem illius deprecantes, per quos illa misit unam epistolam hebraice scriptam manu sua, quam Paulus graece convertit, et in latinum hinc temporibus Constantinus Lascarsic autem habet:

Maria Virgo Ioachim filia Dei humillima Christi Iesu Mater, ex tribu Iuda, stirpe David, Messanensibus omnibus salutem, et Dei Patris omnipotentis benedictionem, etc.

Vos omnes fide magna legatos, ac nuncios per publicum documentum ad nos misisse constat, Filium nostrum Dei genitum, Deum, et hominem esse fatemini, et in coelum post suam resurrectionem ascendisse; Pauli Apostoli electi praedicatione mediante, vitam veritatis cognoscetes, ob quod vos, et ipsam civitatem benedicimus, cuius perpetuam protectionem nos esse volumus. Anno filii nostri 42 indictione prima, tertio nonas Iunii: luna 27, feria quinta ex Hierosolymis.

Maria Virgo confirmat quae scripta sunt propria manu.

Scio cardinalem Baronium (*tom. 1. Annal. an. Chr. 48*) has epistolae his verbis impetere: *Fertur eiusdem Dei genitricis epistola ad Ignatium reddita, eiusdemque Ignatii una ad ipsam scripta, duae vere ad Ioannem Evangelistam de eadem ipsa loquentes. Sed Hieronymus, et alii antiquiores, qui eiusdem Ignatii recensuerunt*

epistolae, ipsae ad alias scriptae civilitates: quas cunctas, cum careant Ecclesiae auctoritate, non nisi in apocryphorum classem reiciendas esse, omnes facile iudicabunt. Ego vero non video, cur his epistolis humana fides adhiberi non debeat. Ut enim a recentioribus exordiar, illas acceptas doctissimus Canisius (*l.d. Deip. c. 1*), et insignis concionator Hieronymus Ferrariensis, qui illam, quae ad Florentinos spectat, pro concione explicavit 25 die octobris anni 1495. Accedit, quod cum antiquissima, et immemorabilis sit utriusque huius celebris urbis traditio, quod beata Virgo eas per epistolae salutari; non videtur verisimile, rem esse confictam. Quod vero attinet ad epistolam Ignatio scriptam a beata Virgine, multorum est gravissimorum doctorum auctoritas cum cardinalis Baronii sententia pugnant, qui absque ulla haesitatione illam recipiunt. Hi sunt Marcus Michael Carnotensis (*lib. de viris illust.*), Dionysius Carthusius (*in commen. Dionysii de div. nomin.*), Tritemius (*de viris illust.*), Laurentius Maselli (*lib. 6. de beata Virg. cap. 18*), necnon Marianus Victorinus, Symphorinus, Clamperius, et Richelius, quos refert, et sequitur Canisius (*lib. 5. de Deip. cap. 18*), et quod his omnibus amplius merito censi debet, d. Bernard. (*serm. 7. in Ps 90*) illam probat in haec verba: *Magnus ille Ignatius discipuli, quem diligebat Iesus, auditor: martyr noster, cuius pretiosis reliquiis nostra ditata est paupertas, Mariam in pluribus, quas ad eam scripsit, epistolis, christiferae consulat. Egregius palam titulus dignitatis, commendatio honoris immensis.* Ut quid ergo propter solum silentium d. Hieronymi refutabo, quae d. Bernardi, et tantorum auctoritate sunt consignata, cum et illius silentii alia potuerit esse ratio.

Venio iam ad sedulam curam, quam in audiendo verbum divinum adhibui. Nunquam enim fere a filio discedebat, propter quod divitibus Epiphanius (*haeresi 78*) vocat eam perpetuam Iesu sectatricem, et beatus Guericus abbas divi Bernardi discipulus (*serm. 4. de assum.*) inquit: *Sed et cum evangelizans, eius, cum iret Iesus per civitates, et castella, Maria comes individua, vestigis eius adhaerebat, pendebatur ex ore docentis; adeo ut nec procella persecutionis, nec horrore supplicii a consociatu filii, et magistri poterit absterri. Quibus consonant verba d. Augustini (*serm. de Assumpt.*) dicentis: *Quae hunc in utero gessit, et omnem infantiam eius matris affectu ita prosecta est, et usque ad crucem, in qua filium iam virum perfectum vidit pendentem ab eius indubitante ministerio non recessit, consecuta non solum gressibus pedum tanquam pro amore filii, verum etiam imitatione morum, tanquam pro reverentia Dei. Maria ergo ministra Christi, spiritualium operum qualitatibus sicut devotissima exstitit, ita absque dubio religionis, et verae charitatis secutrix fuit.* Porro, quia omnia heroica opera vitae activae, quae beata Virgo exercuit, prosequi est impossibile, verba divi Ignatii martyris, et epistolam ad Ioannem Evangelistam, quae paucis multa ex illis continent, dictis adnotam: *Notificavere,**

inquit, eandem matrem Dei omnium gratiarum esse abundantem, et omnium virtutum, more Virginis, virtutis, et gratiae foecundam: quae ut dicitur in persecutionibus, et afflictionibus est hilaris, in penuriis, et indulgentis non querula: iniuriarum grata, et modesta: in re laeta, miseris, et humilitas condelet coacta, et subventer non pigrescit. Contra vitiorum autem pestiferos conflictus in pugna fidei discipulis entescit: nostrae novae religionis, et poenitentiae est mogistra, et apud fideles omnium operum pietatis ministra: humilibus quidem est devota, et devotis devotius humiliatur, et mirum in modum ab omnibus magnificatur, cum a scribis, et pharisaeis detrahatur. Praeterea multa referunt, et de eadem omnibus per omnia non audentes fidem concedere, nec tibi referre; sed sicut nobis a fide dignis narratur in Maria matre Iesu, humanae naturae, natura sanctitatis angelicae sociatur, et haec talia ecclesiarum visceribus nostris, et cogunt valde desiderare aspectum huius, si fas sit fari, celeris prodigii, et sacratissimi spectaculi. Tu autem diligenti modo disponas super desiderio nostro; haecenus divus Ignatius.

Atque hinc est, quod sponsus Cantiorum captus amore Virginis, ob praecleara eius opera iam vitae aeternae, quam contemplativae, omnia eius membra sigillatim commendat, praecipue vero septem: oculos, capillos, dentes, labia, genas, collum, et ubera, quia septem sunt dona Spiritus sancti, et septem virtutes cardinales, quae coelestem quandam splendorem Virgini contulerunt. Deinde quia per oculos columbarum mentis simplicitas designatur (Matth. 10): Estote simplices, sicut columbae. Capilli tui sicut greges caprarum, id est cogitationum celsitudo, et munditia persimiles gregibus caprarum, quae semper cacumina montium celsantur; ascendunt vero de monte Galaad, id est abiectionis: ex humili enim sui cognitione ad cor altum, et ad excelsum Dei optimi cognitionem virgo semper ascendebat, et pennis illius columbae, quas desiderabat David, praedita, in sublime frequenter volitabat. Dentes tui, sicut greges tonsarum, quae ascendunt de lacuro; id est, dentes candidi, mundi, et aequales, per quos significatur innocentia vitae. Dentes namque ovium non alios mordent, cibum tantum mandunt, et dividunt; quo significatur fidei discretio. Habuit dentes fortissimos fortitudinis et patientiae laborum, et ad scindendum cibum doctrinae, et exempli proximi. Omnes gemellis foetibus, quia iusti non tantum praeccepta, sed consilia quoque amplectuntur, inter quos Virgo sanctissima excellit, sicut sol excellit sydera, sic ipsius innocentia omnem sanctorum innocentiam superavit. Sicut vitula coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce. Color purpureus labiorum pulchritudinem auget. Unde Virgilius stae Veneri labia rosea tribuit. Labia Virginis charitalem Dei, et proximorum aedificationem suavi, dulcissimoque eloquio iugiter personabant (Cant. 4): Sicut fragmen mali punice, genae tuae. Rubens color genas exornat, maxime cum e pudore procedit: pudor sigidum, et modestia sacratae Virginis documentum est

Virgini, et aedificatio totius Ecclesiae. Sicut autem sub cortice, et fragmine mali granati plurimi latent, et pulcherrimi granorum ordines; sic sub vexillis virginie pudoris plurimi coetus virginum sacramentum militant. Ecclesiamque Christi exornant (Cant. 4): Sicut turris David, collum tuum. In collo obedientia, et humilitas denotatur, quae turri David, id est Ecclesiae miram confert fortitudinem. Ex quo enim humilis Virgo divino nuncio obediens collumque submitbens, dixit (Luc. 1): Ecce Ancilla Domini, infirmitas antiquae Ecclesiae in coelestis turris fortitudine commutata est, iam sanguinem, et vitam pro Christi nomine fundere non dubitans; cui sit honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA II.

Quam apte conveniant in beatam Virginem verba illa holierni Evangelii: Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea, pulchre disseritur.

Audio dicere, verba haec (Luc. 10): Maria optimam partem elegit, ita Virgini apta, et consentanea esse, ut nemini melius, quam ei quadrare possint; etiamsi comparatio fiat, vel ad Creatorem, vel ad creaturas. Etenim si sermo sit de Deo in seipso, satis constat, illum non elegisse sanctitatem, et beatitudinem suam, cum haec sint bona illi intrinseca, et essentialia; quae autem sunt huiusmodi, non cadunt sub electione. Deinde ipse non habet sanctitatis, et beatitudinis partem, sed totum: non igitur ei convenit, optimam partem elegit. Si autem loquamur de Deo, ut homo factus est, nec hoc modo elegit humanam eius voluntas gratiam, et gloriam essentialem, qua fruebatur, quia ut docent d. Thom. (3. p. q. 19. ar. 2. in corpore), et divus Bonaventura cum Magistro sententiarum (in 3. q. 13. ar. 2. q. 1), neutrum istorum Christus Dominus habuit per meritum, sed tanquam quid consequens, vel naturalis sequela, ad gratiam unionis hypostaticae. Ac tandem, si comparatio ad homines, et angelos convertatur, certe gratia tam his, quam illis gratis collata, et augmentum illius, quod in via meruerunt, necnon et gloria eorum meritis in patria correspondens minime fuit optima pars gratiae, et gloriae; cum ea, quam beata Virgo meruit, unanimo omnium consensu, longo illam transcendat. Nemini igitur convenientius, quam Virgini aptari possunt proposita verba, cum vere ipsa per propriam electionem meruerit gloriam, et portio illa gloriae, quam meruit, fuerit omnium optima, quae purae creaturae communicatur.

Verum, ut latius id discutiamus, revocate quaeso in memoriam, sacram illam Exodi historiam (cap. 35). Cum enim ad tabernaculum struendum, in quo Dominus habitare decreverat, Moyses necessarios sumptos pararet, unusquisque ex filiis Israel obtulerunt mente promississima, et devota primitias Domino ad opus

tabernaculi. Princeps aurum optimum, argentumque purissimum: nobilioris purpuram, coccumque bis tinctum, et hyacinthum: divites foeminae armillas, in aureas, annulos, et dextralia: reliqui non iam opulenti, vermiculum ac byssum: populares omnes ligna necessaria ad opus. Tandem pauperiores mulieres sericum, et fila ad consueudas atri cortinas, et tabernaculi operimenta. Ex his omnibus Moyses, eiusque consilii seniores optima quaeque elegerunt, ac revelante Deo, et scientia infusa edocti, tabernaculum construere coeperunt. Quod, ut docent Amphylochius, et Gregorius Nissenus, beatissimae Virginis figura exiit inter omnes puras creaturas electa; ad quam perficiendam, creaturarum omnium universae perfectiones, divitiae, praesentiae confluerunt: ex quibus omnibus perfectissima quaeque, et praestantissima elegit, ut et ipsamet testatur (Ecclesiast. 24): In me omnis gratia viae, et veritatis: in me omnis spes vitae, et virtutis. Ecce aut, se possidere virtutes universas absque vitiiis, defectibus, et imperfectionibus, quas infra enucleatim enumerat arborum similitudine: cedri proceritatem, capressi sublimitatem in Sion, palmae gloriam in Cades, olivae fructum in campis, platanus amoenitatem iuxta rivus aquarum, quercus robur in Basan. Sub quarum certe arborum tropis virtutes suas in ipsis significatas ostendit. In cedri proceritate contemplationem: in olivae fructu maternitatem: in platano humilitatem, in quercu fortitudinem. Elegit etiam ex herbis universis optimam partem: lili candorem, balsami fragrantiam, thuris evaporationem, in collibus sabaeis: incorruptiorem myrrhae arabicae, rosarum pulchritudinem in Jerico. Elegit optimam partem in animalibus, fortitudinem leaenae, ovis mansuetudinem, formicae prudentiam, velocitatem cervi super montes Bethel. Elegit optimam partem ex mineralibus, aurum, argentum, uniones, gemmas pretiosissimas; necnon etiam ex mari: nam sicut omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat, ita flumina omnia gratiarum, quae per omnes creaturas sunt dispersa, intrant in Mariam, quae mare interpretatur; nec propletra elata intumescit, quia instar maris non redundat ex aquis. Ad tertium aeris elementum descendens attendite, qua ratione ex avibus universis optimam partem elegit: simplicitatem columbae, castitatem turturis, amorem, et prudentiam gallinae pullos tulantis. Sed his non contenta ad altiora evolans ad ignis usque sphaeram pergit; ac divini amoris igne accensa, concupiscentiae flammis semper nescivit. Altiora adhuc petit, nam ex coelo lunam sumit, qua calcetur: sydera, quibus coronetur: solem, quo induatur: coelum empyreum, in quo principatus sui solum constituat, et tridenarius depicta coloribus illud circumdet (Apoc. 4): Iris erat in circuitu sedis. Iam ex creaturis corporalibus ad spirituales transcendit, atque ex ipsis suae familiae ministris elegit: angelos, ut serviant: archangelos, ut nuncient: principatus, ut defendant: potestates, ut conculcent: virtutes, ut suis electis patrocinentur: dominationes, ut domum suam gubernent: thronos, in quibus sedeat: cherubinos,

CARTHAGENA DE B. M. V.—Vol. II.

ut continuo sibi adstent: seraphinos, ut camerarios a secretis. Unde ipsa de se haec testatur (Ecclesi. 24): Girum coeli circumvici sola, et profundum abyssi penetravi: in fluctibus maris ambulavi, et in omni terra steti: et in omni populo, et in omni gente primum habui: et omnium excellentium, et humilium corda virtute calcavi: et in his omnibus requiem quaesivi, et in hereditate Domini morabor. Tunc praecipit, et dixit mihi Creator omnium: et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. Apprime verba haec divinae sapientiae beatissimae Virgini conveniunt. Biligenter, ait Virgo, terrarum orbem lustravi, aquarum aeris globum circumvici, et in his omnibus requiem quaesivi, eamque in Deo meo inventi. Recte igitur de beatissimae Virgine dicemus: optimam partem elegit. Verum cum ipsa ex omnibus optimum quodque eligi, nos, proh dolor, ex creaturis omnibus pessima quaeque seligimus, graviter Deum offendentes, et de vitio in vitium progredientes. Ex coelis quod peius est eligimus: ex Saturno odium, iram et invidiam: ex Iove ambitionem, et iactantiam: ex Marte vindictam: ex Sole concupiscentiae ardorem: ex Venere carnis turpitudines: ex Mercurio dolos, et fraudes: ex luna decremента virtutum, incrementa vitiorum. Itaque sicut Virgo sublimia semper petebat, sic nos ad infima quaeque descendimus. Peccatores certe ex coelis ad ignis regionem labuntur, ibique pravo igne iuculescent (Ecclesi. 23): Anima calida, quasi ignis ardens non extinguetur, donec aliquid glutiat. Inde in aeternum descendunt, et vanitate inflati contra Deum, superbe eriguntur (Ier. 51): Cor suum levaverunt contra Deum, tanquam ventum pestilentem. Descendunt ulterius ad aquas usque, et instar aquae per sua facinora effunduntur (Gen. 49): Effusus es, sicut aqua: non crescas. Atque hinc, veluti in coelum convertuntur, et cor ad inter lapidis, obdurant: sicque in omnibus his pessima quaeque eligunt. Ex avibus rapacibus furta, et rapinas: ex Psittacis loquacitatem, et murmurationem: ex piscibus potentiores infirmiores deglutire: ex terrestribus animalibus gulam, et ebrietatem, ingratitudinem, crudelitatem, et carnalem vivendi modum decerpunt. Quid plura? ad infernum usque delabuntur, atque ex damnatis cordis obstinationem eligunt contra Deum, singulari quadam antipathia in omnibus, et per omnia Virgini se opposites, cum illa ex creaturis universis scalam sibi confecerit, qua ad Deum ascenderit; hi autem ex eisdem praecipitium sibi parent, quo a Deo recedant. Beatissima quidem Virgo ex omnibus optima eligi: ipsi autem omnium pessima. Virgo quasi apis dulcia sugit: ipsi veluti immunda animalia sordidiora carpunt. Virgo tabernaculum ad Deum recipiendum variis decorat virtutum ornamentis: ipsi vero multis peccatorum sordibus, animae, et corporis sui tabernaculum contaminant. Beatissima Virgo instat coelestis Hierusalem, Deo praeparat habitaculum: ipsi velut Babylonia, immundissimorum spirituum facti sunt domicilium: atque hinc est, apte in Virgine convenire illud (Sap. 8): Generositatem illius glorificat, contubernium habens Dei: sed et om-

nium Dominus dilexit illam, doctrina enim est disciplinae Dei, et electrix operum illius. Quae verba de b. Virgine dicta existimantur s. Maximus Episcopus Tyri, et s. Iuvenalis Episcopus Hierosolymitanus (*serm. de Virg. assum.*): et merito, cum revera electrix fuerit operum Dei beatissima Virgo, optima quaeque ex omnibus sibi eligens, ut dignum Dei habitaculum fieret. Non ergo male quadrat Virgini quod Lucas ait: *optimam partem elegit.*

Sed ulterius adverte, sacram Scripturam commemorare de tabernaculo illo, quod superius propositimus, super alas cherubim propitiatorum extitisse ex auro purissimo, quod ut Clemens Alexan. (2. *pedag.*), et s. Basil. (*serm. de natic.*) adnotarunt, significat Dei nostri divinitatem; ut hoc innoscat nobis b. Virginem supra cherubinis excelsiores consensisse, et supra universa creata elevatam, ut inde purissimum virtutum aurum ex ipsa divinae naturae aurifodina desumeret. In Evangelio lego: *Martha Martha sollicita es, et turbaris erga plurima. Lego etiam: Porro unum est necessarium.* Beata autem Virgo ex his duobus, relicta turbatione Marthae, illud unum necessarium elegit: quod quia infinitum est, omne bonum transcendit. Noluit erga plurima turbari, ut Martha; sed ad unum tantum assequendum se applicuit, in quo universarum creaturarum bona continentur. Notant perique cum Nazianzeno (*oratione tertia*) Theologi, in hoc praecipue praestare Deum creaturis suis, longissimoque intervallo esse praecellere, quod virtutum multarum pluralitatem in unius essentiae simplicitate unit, variaeque attributa infinita, unica, atque indivisa perfectione continet. Misericordia, iustitia, potentia, sapientia, divinae quidem sunt ab invicem in creaturis; at in Creatore unum quid simplicissimum sunt: non unionis vinculo copulata, sed unitate essendi indivisa: quod ex eo revera oritur, quia unumquodque Dei attributum purissimum actus est, et infinite perfectus, et ideo ab alio reipsa secerni non potest. Unde quod in Deo iustitia est, id ipsum est misericordia, id ipsum est sapientia, et potentia, ut ss. Augustinus, et Hilarius saepissime (*lib. de Trin.*) tradiderunt, docentes, non ita humiliter nobis de Deo sentiendum esse, ut credamus eius iustitiam ab eiusdem misericordia, ut in nobis, differre; sed unicam esse, et indivisam perfectionem, cuius veritatis modus ipse operandi Dei non leve argumentum mihi esse perhibetur. Ita enim exuberanter aliquando misericordiam suam impertire dignatur, ut totius misericordiam esse videatur: quandoque ita exandescit adversus peccatores, ut totum iustitiam dixeris: quandoque tandem ita magna, ac portentosa operatur, ut totus potentia merito iudicetur: id quod ut clarius innoscat, materiali exemplo id dilucidare placet. Perspectiva arte docemur imagines quasdam arti artificio eformari, ut modo agrum variis depictum floribus, modo montem sylvestrem, modo pulchram virginem, modo terrerimum serpente praeserant, et hinc horrendum, inde placidum vultum intuentibus representent. Quod si huma-

na industria effecit, ut unum idemque simul lacrum tot, tanque varios vultus in se contineat; cur id divinae essentiae negabimus? ut eadem Dei substantia tota sit iustitia, tota misericordia, tota sapientia, et omnipotentia? Cum autem beatissima Virgo, ut explicat Andreas Cretensis, sit speculum sine macula, iure optimo divinae essentiae naturam representare in se poterit, ut modo agrum floribus virentem nostris mentibus obiciat: modo ita doloribus angatur, ut mare lacrymarum nobis videatur: modo in operatione sit tam sedula, ut Martha indicetur: modo in contemplatione tam vehemens, ut tota sit Maria: tantis circumdata regalibus insigniis, ut videatur regina: tam humilis, ut ancilla: tam pura, ut purum spiritum diceret: tam sollicita ad subveniendum miseris, ut tota humana: tam in Deo absorpta, ut tota divina esse videatur.

Ut tamen omnem plane dubitationem de tanto artificio repelleremus, sacrae istius philosophiae vestigia quaedam Deus in pretioso lapide, qui opalus dicitur indidit, qui in ripa fluminis indici gignitur. Agit de illo Plinius (*lib. 37. cap. 6*), ubi ait: *Opalus gemma est, in qua carbunculi tenuior ignis: ametisti fulgens purpurea: smaragdi virens mare, cum nativo lactis candore incredibili mixtura trahentur.* Incredibile certe naturae miraculum lapis iste, qui quatuor vultus praesertit, et in omnes se transformare videtur: modo namque instar tenus stellae fulget splendore: modo instar lactis mirro candore albescit: nunc carbunculum purpurea delibatum: nunc smaragdum virore resplendentem diceret: mirum est sane divinae essentiae hyperoliticum. Intuetur Moyses Deum, sibi que totus zelus esse videtur: *Deus noster, ignis consumens est (Deut. 4)*. Intuetur cum Oseas, cum iustam animam diligit, et lac eum existimat: *Laetabo eam (Osee 2)*. Inspicit Iosias in bello praeliantem, eumque sanguine dicit perfusum: *Quare rubrum est vestimentum tuum? Contemplatur Ioannes eius promissa, quibus ad divinorum praemiorum spem nos erigit, eumque viridi smaragdo similem fatetur (Apoec. 4)*: *Similis visioni smaragdinae.* Quod si rem attente inspiciamus, his quatuor coloribus tabernaculi corinae constabant, ut Iosephus dixit (*lib. 6. de bello Iudae. cap. 6*), quos omnes mystice in beata Virgine mirifice emittisse dubitandum non est. Fuit, nec unquam non aderit in ea smaragdi fulgor: fulgebant in ea splendor sanctae conversationis, candor innocentiae, rubor charitatis, viriditas spei, Ecclesia ad eam dicente: *vita, dulcedo, spes nostra.* Quae omnia non obscure indicant, Mariam optimam partem elegisse: optimam sane, cum aliquo ipsa per naturam impossibilitatem in unum ipsa copulaverit. Gaudet foecunditate materna, et integritate virginea: fructuatur privilegio impeccabilitatis, quod proprium est patriae; et gratia merendi, quod proprium est viae. Aliae haec, et alia similia caelestia charismata, quae Deus in huius tabernaculi aedificium contulit, perpendens sanctus Petrus vocat (*serm. de Assumpt.*) beatam Virginem *marit, nobile trinitarium Trinitatis*, quia in eo omnes divinae Trinitatis personae speciali ratione requie-

verunt. Requievit Pater, donans ei proprium filium: requievit Filius, in eius utero carnem assumens: requievit Spiritus sanctus eam foecundans. Ut autem Patri gratiam vicem Maria rependat, offert Patri filium sibi aequalem: nudum illum acceperat, sed carne indutum reddidit. Filio rependit, quia si ab eo matrem Det esse accepit, filius ab ea filium esse hominis desumpsit. Tandem Spiritui sancto etiam rependit, quia si ille eam ad Christi conceptionem foecundavit, ipsa ad eandem purissimam sui sanguinis materiam ministrando cooperata est. Sane allucinari necesse est, humanae rationis capacitate in tantarum rerum consideratione. Sensus turbatur, lingua deficit, et creatura universa succumbit, mysteria haec tam sublimia perpendens. Sed et turbationem ingerit, si attente meditatur b. Virginem, ut coelum possideat, meliorem partem elegisse ex creaturis omnibus: immo et ex Deo uno trinogae. Nos autem tam vili pretio emptores credentes caelestia gaudia, opera quaeque ad Dei obsequium seligimus. Eleemosynis deteriora domus destinamus: ieiuniis delicatas ocellas adhibemus: ad confessionem sero, et imparati accedimus: poenitentias modicas nobis iniungi optamus. Nulla haec de re suppetunt de nostra erga Deum, ob collata beneficia, ingratitude, exempla; sed propositum argumentum prosequamur, ut incepto divini tabernaculi operi extremam manum imponamus.

Ad haec, cum iam omnino completum esset illius tabernaculi aedificium, eaque omnia in eo constituta, quae Dominus apponi praecerat, tanto fulgore emicabat, ut ex variorum gemmarum, quibus intertextum erat, splendore, oculorum acies perstringeretur; ita tamen, ut ea intuentes, propriam uniuscuiusque oblationem ad tabernaculi structuram mirum in modum oblectarentur, immo astra ipsa in admirationem tanti splendoris viderentur stupuisse. *Sed, et luna steterunt in habitaculo suo (Iaac. 3)*, ut enim dixit Sapiens (c. 7): *Est pretiosior sale, et super omnem dispositionem stellarum luce comparata, invenitur purior;* maxime tamen spiritus angelici omnes eius perfectiones, ceteris omnibus, quas ipsi sunt praediti, contemplantes, primas ei deferunt. Immo et ipse Deus videns ex omnium perfectionibus partem meliorem elegisse Mariam: Deus, inquam, ipse tanti operis architectus ex suae maiestatis throno mirum in modum in illo sibi complacet. Quod si omnia, quae iam condiderat, sibi valde bona videbantur (*Gen. 2*): *Vidi Dominus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona;* quanto magis opificium hoc perfectum sibi videri debuit, quod suae voluntati conforme, omnibusque numeris absolutum confecerat? Supra terram, tunc inquit, ascendit Virgo illa, quae terra fuit virginea, et maledictioni nunquam obnoxia, ex qua secundus Adam conditus est. Supra aquae vertices conscendat, quae pelagus est, et immensum mare divinorum charismatum. Supra aetrem conscendat regia aquila, et nidum collocet inter sublimiores cedros. Supra ignis phoeram conscendat, quae incessanter divino cha-

ritatis igne aestuabat. Supra lunam conscendat, in eius utero pedibus lunam calcavit, omnia ut stercora conculeans, ut Creatori suo placeret. Ascendat supra Mercurii orbem scientiae parentis, quae mater exiit incretae Sapientiae. Ascendat supra Veneris coelum, quae mater fuit coelestis amoris (*Ecccl. 27*): *Ego mater pulchrae dictionis.* Ascendat supra solem luminum fontem, quae Solem iustitiae peperit illuminantem omnem hominem venientem in hunc mundum, ut loquitur divus Ioannes. Ascendat supra Martem bellorum deum, quae draconis caput viriliter contrivit, et mater est illius, qui Deus dicitur exercituum. Ascendat supra Iovem regnorum Deum, quae regina est universi orbis. Ascendat supra Saturnum ea, quae fecit, ut turpe, et peccatis pollutum saeculum nostrum, aurum esset, coelestibus gratis redundans. Ascendat supra caeleste firmamentum stellis stratum, quae virtutum omnium est firmamentum. Ascendat supra coelum crystallinum, quae coelum ipsum claritate superat, et puritate. Ascendat supra primum mobile, quod celeri, ac potenti suo motu reliquis sphaeras movet, et intuentium corda ad se convertit, et polestarum rapit. Ascendat supra empyreum coelum, proprium Dei habitaculum, quae in terris fuit semper sanctum Dei domicilium, et aula regia. Ascendat supra patriarchas, quae illorum parens erit. Ascendat supra prophetas, quae omnium eorum complementum fuit. Ascendat supra Apostolos, et Evangelistas, quae reaedificandae Ecclesiae, Christum enixa dedit initium. Ascendat supra angelos, et archangelos, quae in uberiori gratia condita fuit. Ascendat super virtutes, quae pene innumeris virtutum operationibus mirifice praefusa. Ascendat supra thronos ea, quae regalis thronus exiit veri Salomonis. Ascendat supra cherubinos, et seraphinos, quae eos scientiae splendore, et charitatis ardore superabat. Ascendat, ait Pater omnipotens, ea quae terribilis est, ut castrorum acies ordinata. Ascendat, ait Filius sapientiae Patris, quae doctrina fuit, et magistra Ecclesiae. Ascendat, ait Spiritus sanctus amore ardens, quae amoris flammis semper exarsit, et ad supremum thronum scandat in aeternum cum Deo regnatura; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA III.

Haec est metaphoram b. Virgini accommodamus, praecipuos montes commemorantes, quorum tam sacra, quam prophana, eloquia meminerunt, permultaque dicimus, quae Deiparae in coelum assumptae excellentiam, et in nos misericordiam commendant.

Montis metaphoram apte in b. Virginem convenire, non solum sancti Patres d. Gregorius (*in lib. 1. Reg. cap. 1*), et d. Ioannes Damascenus (*orat. 1. de natic.*), sed et sacra eloquia a-

parte contestantur: nam (*Ezech. cap. 17*) montis nomine beatam Virginem conestavit: *Erit mons in vertice montium: et Abacuch (cap. 3) ait: Deus ab austro veniet, et sanctus de monte Pharon*, hoc est, de monte umbrato, ut vertunt septuaginta Interpretes, alludentes ad futuram illam umbram, qua Spiritus sanctus Mariam protexit, cum angelus ei dixit (*Luc. 1*): *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Daniel etiam (*cap. 2*) montem appellat eandem Virginem, ex quo sine manibus abscissus est lapis, id est Christus Dominus, lapis angularis, qui sine opera viri, et sine manu obstetricante conceptus, et natus fuit ex Virgine. Cum tamen pene innumeros, eosque percelebres montes tam prophana, quam sacra eloquia commemorant, a quo illorum exordii, summa perplexitate laboro, mihi quae accidere ipse experior, quod illo contigisse insigni cuidam Homeri statuae me legisse memini. Alexandro Magno coram ea transeunte sudare illa coepit; quod singulare prodigium attente spectantes Philosophi, dixerunt, statuum Homeri sudasse, ad significandum, eloquentissimos etiam Oratores, et disertissimos Poetas usque ad sudorem elaboraturus, sed nec successuros satis in extollendis Alexandri praeclaris gestis. Non dissimiliter Homeri Ecclesiae catholicae, hoc est S. Patres valde insodantur in decanandis Mariae laudibus, ingenueque fatebantur, impares esse ad dignam eius commendationem. Si ergo gigantes Virginem laudaturi premebantur, et sudabant, pigraeque pressurae, et sudoris immunis erit? Deiparae tamen auxilio infens, ascendere conabor in altitudinem montium, quorum tam humanae, quam divinae hierae comminiscuntur, ut inde miras Virginis laudes depromam. Permilli rerum naturalium historiographi cum Solino (*cap. 14*) tradunt, tantam esse montis Olympi altitudinem, ut venturum, ac tempestatum nulla procella cacumen illius infestet: verba Solini haec sunt: *Olympus prima excellenti vertice tantum attollitur, ut summa eius, coelum, accolet vocent. Ara est in cacumine Iovi dicata, cuius altaribus si quae de caesis inferuntur, nec diffantur ventis, et spiritibus, sed rovente altero anno, cutisnodi relicta fuerint, eiusmodi reperiantur; et literae in cinere scriptae usque ad alterum anni carenioniam permanent. Ad eundem modum tanta fuit Mariani montis celsitudo, ut instar montis Olympi, nulla peccati originalis procella, a qua nemo liberatur, serenitate eius perturbare, nec calidus conceptionis ventus, aut peccati alicuius grando eam unquam infestare poterit. Exinde etiam mens, quae vertice erat huius spiritualis Olympi, sacra coepit esse ara, non falso Deo Iovi, sed vero, uni, et trino, cum ab instanti conceptionis suae sancta, et in gratia confirmata fuerit. Ex quo insuper factum est, ut sicut hierae, qua in summitate montis Olympi in pulvere exarabantur, per totum anni curriculum indeleat perseverabant; ita divina charismata, ac sacri virtutum characteres ab instanti conceptionis Virgini impressi, semper in ea permanserunt, quia antiqui serpentis flatus non potuit eos delere. Quare autem ad Olympi summitatem nec ven-*

tus, nec pluvia, nec grando, nec aliqua alia intemperies, aut tempestas appropinquet, rationem reddit Lucanus (*lib. 2*):

Nubes excedit Olympus:

ita etiam, si rationem quaeras, unde tanta in Virgine immunitas? eandem reddam:

Nubes excedit Olympus.

Per nubes in sacra Scriptura significantur prophetae, ut adnotavit Valerianus, de quibus loquens Isaias (*cap. 5*) ait: *Et mandabo nubibus meis ne pluant*. Significantur etiam Apostoli, ut observavit Gons. Chelius (*in suis eloq. lib. 6*), et confirmat Isaias, dum de illis ait (*cap. 40*): *Qui sunt isti, qui ut nubes volant? Significantur tandem spiritus angelici, ut docet Rupertus Abbas (*lib. 1. de iustit. Verb. Dei cap. 19*). Unde ait, quod Lucifer dixit: *Ascendam super altitudinem nubium*, per nubes angelos intellexit, super quos ad similitudinem Dei conepit ipse dominari. Excessus ergo in plenitudine gratiae, qua beata Virgo omnes nubes, tam prophetas, et apostolos, quam angelos praecelluit, causa existit illius immunitatis ab omni procella, et tempestate peccati. Consonat etiam huic, quod de eodem Olympo Plineus, Solinus, et alii dicunt, unidique a sole circumdari, ita ut radiis solaribus, velut vestimento a summitate usque ad extremitatem videatur ornari. Unde Olympus interpretatur *totus fulgens*. Id quam apte in Virgine conveniat, Ioannes testatur, qui fatetur se vidisse beatam Virginem fulgentissimis solis radiis indutam (*Apoc. 12*): *Mulier amicta sole*. Ecce a vertice capitis usque ad extremitatem pedum tota erat solis claritate coruscans. Narrat etiam Cosmographi montem Olympum nunquam hominis industria cultum, nunquam arari, aut sulco coli, valde tamen frondosum esse, ut cecinit Virgilius (*l. Georgic.*):*

Sicilicet atque Ossae frondosum involvere Olympum.

In hoc, quis non videat, apertissime Virginem delineari, quae terra inculta, viri operam semper nesciens, fructum vitae protulit. Unde egregie beatus Guericus Abbas discipulus divi Bernardi (*serm. 2. de Annuntiatione*) dixit: *Proprus benedicta illa terra, quae omnino intacta, nec fossa, nec seminata, de solo rore coeli Saluatorem germinat, et mortalibus panem angelorum alimentum vitae aeternae ministrat. Frondibus etiam spiritalem hunc Olympum plenum fuisse, illud satis probat, quod id, quod in arbore frondes, in homine capilli sunt, iuxta illud poetae:*

Torpe pecus mutilum, turpis sine gramine Campus, Et sine fronde frutex, et sine coma caput.

Capilli autem Virginis, qui eius cogitationes fuerunt, quibus magis, quam Olympus suis frondibus, ornabatur, quam pulchri fuerint, verba ipsius sponsi satis manifestant; cum vel

uno solum illorum, incredibili illius amore captus fuerit (*Cant. 4*): *Vulnerasti cor meum soror mea in uno crine colli tui*; vel ut alia lectio habet: *Abstulisti cor meum in uno crine colli tui*: hoc est, humilis illa cogitatio, ex qua verba illa prodierunt: *Ecce ancilla Domini*; cum tamen ad celsissimum Dei Matris dignitatem esses destinata, nec id ipsa ignorares, quando illa protulisti. Denique de Olympo Poeta cecinit, tam propter eximiam eius celsitudinem, quam venustatem, coelum ipsum nomen Olympi sibi usurpasse; et Olympum ipsum, instar coeli, sedem Deorum nuncupari:

Venit Olympum, ubi sedes inconcensa Deorum, Dicitur esse etc.

In hoc etiam recte descriplam Virginem intueor, quae animatum coelum, et sedes, ac thronos Dei, gratior ipso coelo empyreo, semper exiit. Si enim de regia sede, ac throno Salomonis (*3. Reg. cap. 10*) legitur fecisse illum in domo Libani de ebore gradem, auro mundissimo ornatum, sex gradus habentem, quem daae manus sustinebant. Idem excellentiori ratione licet in Maria reperire. Fuit enim Maria sedes pacifici Salomonis, ac thronus grandis ac magnitudinis, de qua ipsa dixit (*Luc. 1*): *Quia fecit mihi magna qui potens est*. Fuit de ebore per candorem virginitatis; fuit auro mundissimo ornata per ferventem charitatem. Sicut enim aurum praestat omnibus metallis, ita charitas excedit omnes virtutes, Apostolo dicente (*1. Cor. 13*): *Maior autem horum est charitas*. Super sex etiam gradus Marianus hic thronus eminebat, quia sex illos ordines patriarcharum, prophetarum, confessorum, martirum, virginum, et apostolorum longe superabat. Manus autem duae, quae sacrum hunc thronum tenebant, manus erant Christi: altera ipsius, in quantum Deus: altera in quantum homo, in quas spiritum suum semper commendabat.

Rursus observavi in idem argumentum, multiplici ratione per montem Sinai, qui in Arabia est, ut testatur divus Paulus (*ad Galat. 4*), Virginem adumbrari. Etenim primo, si ille mons fuit, unde Deus populum suum erudit, recte vivendi regulam, ac legem praescribens; ita per h. Virginem, tanquam per vivam regulam, et animatam legem, Ecclesiam catholicam salubriter instruit, et erudit, Ambrosio dicente (*lib. 2. de Virg.*): *Sit vobis tanquam in imagine descripta virginitas, vitaeque beatae Mariae, de qua velut speculo, refuleget species castitatis, et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari, magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis ostendunt. Secundo, quia sicut mons Sinai frequenter ab angelis, ut (*Act. 7*) dicitur de Moyse: *Hic est, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sinai*; ita et beata Virgo assidue ab angelis visitabatur: non enim solum in templo ante nubes annos, ubi et cibum ministrabant, ut tradit Gregorius Nicomediensis (*homilia de oblatione Virginis in templo*); sed postquam iam*

nupta erat, ut tradit divus Lucas: *Ingressus angelus ad eam, dixit: Ave gratia plena*. Immo proxima morti angelus palmam, victoriae symbolum, ei detulit, ut tradit Metaphrastes (*de Assump. Virg.*). Tertio, quia Sinai fuit mons divinae habitationis, iuxta illud (*Psal. 67*): *Dominus in eis, in Sinai, in sancto*, ita in beatam Virginem inhabitavit Deus non solum per gratiam, sed per mirabile incarnationis mysterium; novem integris mensibus in virgineo eius thalamo, tanquam in proprio domicilio commorans. Unde David sub nomine montis spiritu prophético de ea dixit (*Psal. 67*): *Mons Dei, mons pinguis, mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, etenim Dominus habitavit in finem*. Sicut autem Deus quandoque habitavit in monte illo Sinai, sub rabo inflammato, qui tamen non comburebatur; ita etiam idem, qui, ignis consumens est, quandoque in beata Virgine habitavit sub rabo humanae carnis Christi, quae tamen a flamma divini illius ignis minime absumebatur, nec in ignem divinitatis convertebatur, ut falso quidam Haeretici effulserunt. Quarto, quia Sinai erat mons pascae, et refectionis, ut tradit Iosephus (*l. 2. antiq.*). Unde (*3. Exod.*) legitimus, quod Deus apparuit Moyse, cum minasset gregem ad interiora deserti, ad montem Dei Oreb, qui pars est montis Sinai: minabat autem illum, quia ibi erat uberrima pasqua. Merito quidem beatam Virginem dicentem montem pascae, et refectionis esse, quae panem coelestem nobis produxit, corpus scilicet Christi Domini, quo tanquam supersubstantiali cibo in sacramento Eucharistiae in vitam aeternam alimur, et nutrimur, ipso dicente (*Ioan. 6*): *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum*. Quinto quia, si olim in monte Sinai Deus quasi compatiens afflictioni populi sui, promisit Moyse illum liberare a dura Pharaonis servitute; certe in beatam Virginem descendens, et ex sanguine eius naturam humanam induens, reipsa universum orbem a tyrannica daemoneis captivitate redemit, et antiquam illam promissionem implevit. Sexto, quia sicut Sinai mons fuit terroris, et comminationis, ut adnotavit Ioseph (*lib. 3. antiq.*); unde (*cap. 19. Exod.*) morebat Moyses: *Cave, ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius: omnis enim, qui tetigerit montem, morte morietur*. Et (*cap. 9*) dicitur, quod totus mons Sinai fumigabat, et quod ascendebat fumus ex eo, quasi de fornace; et beata Virgo daemoneis fuit terribilis, et formidolosa; ac quasi mons fumigans, cuius fumus oculari lacrymarum, et flere compellit, eos contristari, ac ululare fecit. Ac tandem, quia sicut mons dicebatur confederationis, et amicitiae, quia Deus mediante lege ibidem condita, populum speciali vinculo secum confederavit; ita b. Virgo, mons confederationis, et amicitiae merito censeri debet, per cuius fructum cum Deo peccatores reconciliantur, et novo amicitiae foedere Creatori suo copulantur.

Ceterum, ne si in singulis immorari velim, in longiorem quam oportet sermonem, nostra protrahatur oratio, reliqua quae de variis montibus mihi dicenda supersunt, breviori eloquio perstringam. Boccacius de montibus Cretae nar-

rat montem esse quandam in Creta, Corinia nuncupationem, in quo nec musca generatur, nec ad illum appropinquat. In quo sane beatam Virginem egregie delineari video: nulla enim importuna indebitae cogitationis musca mentem eius confingere ausa unquam fuit, cum gratia a principio creationis suae sibi collata exuberans adeo fuerit, ut divus Bernardus (*epistola 174. ad canonicos Lugdunenses*) de ea dicat: Quae ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem. Memini Ecclesiasticum dicere (*cap. 10*): Muscae morientes perdunt suavitatem unguenti. Divus Bernardus (*serm. 44*), necnon nobilis auctor Petrus Blesensis, per has muscas intelligunt lascivias cogitationes, quas muscis ipsis importuniores esse non semel experimur. Marianus autem mons ab infestatione harum muscarum longe adeo alienus fuit, ut non solum animus eius unquam stimulaverint, aut aculeum suum per consensum infixerint; sed neque tranquillitatem mentis illius, ut solent importunae muscae, quoquo modo inquietaverint. Sed quomodo quaeso inquietare possent, quam divinorum contemplatio semper occupabat? Martialis (*lib. 14*) tradit, quod olim muscae plumis caudae pavonis abiciebantur:

Lamhere te turpes prohibent tua prandia muscas,
Alis eximiae, cauda superba fuit.

Potuisset quidem muscae multis aliis virioribus pennis fugari, sed consulo ad id pulchris pavonis plumis utebantur, ad significandum, quod licet aliquoquin ad evadendos daemonis laqueos velocissimis pennis opus sit, unde David dicebat (*Ps. 123*): Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium; ad fugiendas tamen importunas cogitationum, quae instar muscarum perturbant, necessariae sunt pulchrae pavonis pennae, quae solem ipsum referunt; hoc est pulchrae de Deo Sole iustitiae cogitationes, quae mentem ad coelestia rapiant, et a rebus carnalibus penitus abducant. Divus autem Gregorius (*in suis Moral. l. 17. cap. 28*), necnon Gulielmus Parisiensis (*de Rhet. div. cap. 43*), per has muscas intelligunt supervacaneas cogitationes, quae orationi vacantes distrahunt, et ab intentione in Deum avocant; quae sane si voluntariae sint, fervorem animae minuunt, et tepidiores illam reddunt. Haec fuit singularis praerogativa Virginis, quae semper instar ferventis olei, quod muscae attingere non audent. Importunae illae muscarum cogitationes, quae mentem in varia distrahunt, longe ab ea semper recesserunt, quae semper Deo erat intenta; et velut flos gigantaecus, qui versus solem semper respicit, iustitiae Solem Christum Dominum intentis animae oculis quocumque se verberat, incessanter intuebatur. Ubi autem manifestius constat, quanta sit haec, huius sacri montis excellentia, ut muscae illum altingere non audent; revocate quaeso in memoriam tanti facere daemoneum his pravaram cogitationum muscis, tranquillitatem animi perturbare, ut cum aliquoquin tanta sit eius potentia, ut Iob dicat (*Iob. 41*): Non est potestas su-

per terram, quae comparetur ei, Beelzebub appellationem, quod nec musca generatur, nec ad illum appropinquat. Refert Plerius Valerianus (*lib. 26*), ex Plinio (*lib. 29*), Herculem, Deo Migodios, cui cura erat muscas fugandi, tantum in sacrificium obtulisse; adveniente tamen magna muscarum copia, super illud continuo aufugisse. Certe Hercules magna fortitudine pollebat, supremi Deorum filius ab Alciato vocatur, et Valerius Flaechus magnanimum illum appellat:

Maganimus expectat pharetram, et inutile robar.

et Quodrus, glorioso Invidi nomine illum illustrat:

Hercules invidi nodosum robur in agmen.

Ac tandem nemo ignorat vetustum illud Prover. Nec Hercules contra duos, et nihilominus fugit. Si ergo fortissimus, magnanimus, et invictus Hercules a facie muscarum fugit, et ad opportunitatem earum vincendam sacrificium offert, non leve argumentum est, victoriam adversus has muscas per illas significatas valde difficilem, ac gloriosam esse. Certe adeo strenuus, ac fortis christiani exercitus miles divus Paulus extitit, ut non dubitaret cum acerrimis omnium hostibus congregiendis, facile eos devicturum (*ad Rom. 8*): Certus sum, quia nec mors, nec vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei; victoriam tamen adversus importunas muscas ex appetitu insurgentes, minime sibi polliceri audeo; immo ab illis se vincti non disfielitur (*Ps. 7*): Sentio altam legem in membris meis captivantem me in lege peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Ecce cruciabatur valde Apostolus, quod experiretur non semel, se peccatorum venialium muscis vincti, et superari. Quis ergo non dicat, magnam Virginis laudem esse, Corina nomine, in quo nec muscae generantur, nec ad illum appropinquant? In cuius figura loquitur terram, in qua Dominus habitabat, nullo modo a muscis infestata (*Exod. 3*): Faciam mirabilem in die illa terram Gessen, in qua populus meus est, ut bene tibi muscae, et scias quoniam ego Dominus in medio terrae.

Quid plura? Convertamus iam nos ad celeberrimum illum Aethiopiae montem, cuius meminit Malotus (*in suis noct. caniculis*). Affirmat de illo tantam esse eius celsitudinem, ut acutissimum et oculorum aciem superet: radices suas non extendere in terram, sed totum eius incrementum versus coelum esse; ab extremitate usque ad eius summitatem pulchris arboribus esse constitum: cacumen eius in aulam deservire ad filium regis illius regionis educandum. Ac tandem celsitudinem eius tantam esse, ut quindecim millium passuum altitudine constet. Haec quam apte beatam Virginem praefigurent, haud difficile erit demonstrare. Equidem si mons ille radices suas non mittebat in terram, sed versus coelum crescebat, id non

desideratur in hoc Mariano monte, quia beata Virgo in divitiis temporalibus, nec in bonis terrenis radicibus nunquam misit: immo adeo ab his radices rebus se expoliavit, ut Hyppolitus, id referente Nicephoro (*lib. 2. cap. 3*) affirmet, quod cum beata Virgo omnium paternorum bonorum, quae non pauca erant, haeres unica fuisset relicta, omnia in pauperes distribuit (*Prov. 31*): Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem, nihil sibi reservans, nisi id, quod vitare non poterat; melius quam Apostoli illud Christi consilium adimplens (*Matt. 19*): Si vis perfectus esse, vende omnia, quae habes, et da pauperibus. Quod si discipuli Christi Domini, ut divus Petrus testatur, omnia temporalia a se sequestrarunt: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te; nulla ratione dubitari potest beatam Virginem omnia illa reliquisse. Unde in nulla pura creatura evangelicam paupertatem magis praefulsisse arbitror, quam in Virgine. Pauper fuit in sponsalio, cum pauperi fabro in matrimonio copulari non sit designata. Pauper in partu, cum ob penuriam operis fuerit et ad stabulum divertere, ut pareret, et infantem poneret in praesepio. Unde divus Cyprianus dixit (*serm. de Nativitate Christi*): Veniunt pastores in Betlehem, invenitur Emmanuel, civitas parva, domus pauperula, suppellex exigua: nulla domus ambitio, nisi reclinatorium in stabulo: mater in foeno, filius in praesepio: et paulo inferius: Pedissequus substantia familiaris non patitur. Mancipiorum obsequia, sumptus tenuis, et inops mensa excludit. Pauper fuit in oblatione fieri consueta pro primogenitiis, cum infantulum suum obtulit in templo. Nam cum Moyses lex diceret: Si non invenerit manus eius, nec poterit offerre agnum, sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum; ipsa ob paupertatem suam hoc secundum obtulit, ut testatur d. Luc. (*c. 2*), quod non leve argumentum censeri debet iam tunc b. Virginem pro singulari eius tam in pauperes, quam in paupertate affectu munera a regibus Saba sibi oblata ad sublevandam indigentium inopiam liberaliter inter eos distribuisse, ut Albertus Mag. adnotavit (*super missus*). Pauper fuit in toto curriculum vitae suae, ex labore manuum suarum victum comparans, ne benedictione illa patris sui David defraudaretur (*Psal. 127*): Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit. Quare d. Paulus non aliter, quam sudore suo victum quaeritabat, ut ipse testatur (*1. Cor. 4*): Laboramus operantes manibus nostris. Non scens b. Virgo, ut ait Salomon (*Prov. 31*): Quaesivit lanam, et linum, et operata est consilio manuum suarum. Manum suam misit ad fortia, hoc est ad laboriosa, et digiti eius apprehenderunt fenum. Hinc sponsus arctissimum Virginis paupertatem contemplant, ei dixit (*Can. 6*): Revertere Sunanitis, hoc est, revertere spoliata, ut verit ex hebraeo Symmachus. Hinc etiam divus Iohannes evangelista describens beatam Virginem, ad significandum contemplum bonorum omnium temporalium, quod beata Virgo omnia ut stercora arbitrabatur, luna, quae symbolum est terrestrium bonorum, infra pedes eius illam calcantes apposuit (*Apoc. 12*): Et luna sub pedibus eius. Ad

quod respiciens divus Hieronymus, vel ut aliis placeat, Sophronius (*serm. de Assumpt.*) eleganter dixit: Totam incanduerat divinus amor, ita ut in ea nihil esset mundanus quod violaret affectus. Ecce quomodo beata Virgo deorsum radices cupiditatis minime ad terrena haec mittebat, Sed sursum per Dei amorem in coelestia ascendebat. Deinde, si mons ille variis arboribus distinctus et pulcherrimus non ostenderet, quod virtutem, et exaltationem non ostendebat, certe beata Virgo, virtutum instar arborum, amoenitate exornata semper extitit, ut quas divinum munificentia in reliquis tam hominibus, quam angelis, tanquam in hortis deliciarum sevit, in ea simul copulaverit, ut in verbis edixit insignis ille cancellarius parisiensis (*de Nativitate Virginis*). ex doctrina divi Dionysii Areopagitae: Habet hoc hyperarchies ordo secundum Dionysium, ut inferiorum virtutes sint in superioribus perfectiori modo repositae; quae admodum sapientia perfectior est in seraphim, quam in cherubim. Est autem Maria super choros angelorum per gratiam, et gloriam elevata: erant igitur in ea perfectiones creaturarum irrationalium, et rationabilium etiam angelicarum eminentiori quodam modo reperibiles. Quod si rursus in vertice montis illius Aethiopiae filius regis solitus erat educari; recte quidem id in beatam Virginem quadrat, cum apud ipsam Filium Dei supremi omnium regis non solum nutritus, et educatus fuerit, sed et ab ea humanitatis purpuram accepit, et ab ea tanquam ex regio thalamo proderit, Ecclesia canente, ex Hymno Sedulii:

Beatus auctor sacculi,
Servile corpus induit:
Ut carere carcerem liberans,
Ne perderet quos condidit.

Unde cum Christum Dominum, intra viscera Virginis habitantem contemplant, continuo in memoria venit, apte beatam Virginem comparari posse monti illi, de quo Pomponius Mela (*lib. 1. cap. 4*) affirmat, fontem salis ab eo emanare: Ad Cathabatom, inquit, Cyrenaeae provincia est Africae pars, in eaque rupes est, ac fons salis appellatus. Ex Virgine enim fons salis sapientiae, hoc est Christus Dominus, sapientia Paris, in quo, ut ait Apostolus (*ad Coloss. 2*), sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae Dei absconditi, ad praeservandum nos ab aeterna corruptione in hunc mundum prodiit. Memoriae etiam similiter occurrit mons ille Indiae infimae, de quo Ludovicus Vives (*in Comm. ad librum 21. de Civ. Dei, cap. 4*) tradit, tanta magnetis quantitate scaturire, ut si naves, quae iuxta illum transeunt, ferreis clavibus sint confixae, nulla ratione possint ultra progredi, quia magnetes illas ad se pertrahit, unde iam clavibus ligneis ad naves fabricandas incolae illius utuntur regionis. Quis quaeso non dicat, beatissimum Virginem Christum in se contentum, montem magnetis, ad ferreos mortalium animos ad se trahendos efficacitas, ut veracissime dixerit (*Iohan. 12*): Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Certe magnetes ille solum traherat naves sibi appropinquantes.

mantes; at divinus hic magnas etiam remotissimas quasque pertrahit ad se, Gentiles, Idololatrias, Persas, Indos, Arabes, Garamantas, et Scitas. Venit quoque in memoriam ille alter mons Bactriane, de quo Strabo (*lib. 11*) refert, adeo imperatori Alexandro placuisse propter florum eius suavolentiam, et arborum amacnitatem, ut in eo nuptias cum Rosiana celebraret: *Fuit, inquit, ibi splendor, regio more epulatus, ducta in uxorem Rosiana Osiatis filia*. Mons iste Marianum montem mihi designat, in quo tantopere celestis Alexander Dei Filius sibi complacuit, ut in eo nuptias per hypostaticam unionem cum humana carne celebrare non dubitavit. Unde David dixit, vidisse illum tanquam sponsam e thalamo Virginis egredientem.

Ceterum, ut ad montem Aethiopiae redeam, a quo nonnihil discessi. Si magna adeo erat illius montis altitudo, ut vix luminum acies ad illam pertingere posset; certe Mariani montis altitudo tanta esse perhibetur, ut Isaias super cacumina omnium montium fundandum praedixit (*Isai. 2*): *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domini in vertice montium*: super quae verba d. Gregorius Magnus (*in l. Reg. c. 1*) dixit: *An non mons sublimis Maria, quae ut conceptionem aeterni Verbi pertingeret, meritum verticem supra omnes angelorum choros usque ad solium delatatis erexit? huius enim montis praecellentissimam dignitatem Isaias vaticinans, ait: Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariae supra omnes sanctos refulsit: haec divus Gregorius: quibus consonant illa divi Iohannis Damasci, (*orat. 1. nat.*), dum ait: *Clarissimus mons Virgo, qui omnem collem, ac montem, idest angelorum, et hominum sublimitatem exsuperat*. Unde d. Anselmus (*lib. de excels. Virg. cap. 4*) hanc tantam Virginis celsitudinem contemplantis ait: *Potest ne quaeso, ullus hominum, aut angelorum ipsis amoris immensitatem penetrare, vel dignitati honoris illius quidquam cogitatu percipere comparabile?**

Verum, ut sublimitatem hanc Virginis inaccessibilem melius percipiat; advertite quaeso Davidem beatam Virginem comparasse monti Sion (*Ps. 2*): *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius*. Omittit dicere, quod Generaribus hic adnotavit, montem hunc duobus collibus constare, in quorum uno regis palatium erat extractum, in altero Dei templum erat erectum; ad significandum in b. Virgine duo haec reperiri: nam eius anima templum fuit Deo sacrum, in quo varia sacrificia, et holocausta Deo offerebat; corpus vero regia domus fuit, in qua Rex regum Christus Dominus per novem integros menses corporaliter habitavit. Praeterea, quod de monte Sion idem regius Vates cecinit (*Psal. 47*): *Laetetur mons Sion propter iudicia tua Domine*; nam b. Virgo recte sibi usurpare posset verba illa (*Esther 15*): *Nunquam laetata fuit ancilla tua, ex quo huc translata sum, usque in praesentem diem, nisi in te Domine Deus Abraham*. Unde et in Cantico suo intonavit (*Luce. 1*): *Exultavit spiritus meus in Deo salvatori meo*. Non ait, se e-

xultasse in divitiis, quia divitiae tanquam spinas, sic enim illas Christus Dominus vocavit, mentem lacerant. Divitiis afflaebat rex Cresus adeo, ut Budaeus affirmet, ex solis censibus, qui illi singulis annis reddebantur, seotum milliones quinque haberet; ait autem Plutarchus, nihil aliud hanc tantam divitiarum copiam sibi deservisse, nisi ut infelicis viveret, obiret infelicissimus. Non ait, se exultasse in deliciis, quia haec, ut expertus fuit Salomon, amaritudinem generant, et dolorem pariunt. Solam ergo montis Sion significationem singulari mysterio gravidam observo: interpretatur enim Sion acervus, ut cum Nicolao de Lyra hebraicae linguae periti ibi adnotant. Ad quod explicandum meminisse invidit, quod, ut tradit Pomponius Mela (*lib. 1. cap. 6*), et refert Maiolus (*in suis noct. canic. collig. 16*), eapropter celebris fuit olim hic mons, quia in eo media nocte videbantur haec, et illae discurrentes quidam ignes, qui tandem ad opulum solis in unum globum coibant, et copulabantur. *Cogit se, ac rotundat, et fit igneus globus*, inquit Maiolus. Non dissimiliter in media illa caliginosa tam naturae, quam scripturae legis nocte, varii ignes visi sunt haec, et illae discurrere: Noe, Abraham, Iacob, Moyses, Ezechias, Samuel, David, et alii permixti clarissimi viri. Paulo tamen ante Solis iustitiae ortum omnes isti ignes in unum globum convenerunt, quia virtutes, gratiae, ac divina horum omnium charismata in his omnibus dispersa, in beata Virgine simul copulata sunt, ut merito proinde mons Sion, idest, acervus compellari debeat. Acervus, inquam, omnium virtutum, acervus coelestium montium, acervus omnium supernorum donorum, acervus omnium divinorum charismatum, acervus omnium supernaturalium munerum, acervus tandem omnium gratiarum, et privilegiorum tam angelis, quam hominibus concessorum. Atque haec facit, quod narrat Hesiodus (*in lib.*), cuius titulus: *Opera, et dies*: ait enim Deos omnes convenisse, ut Pandoram variis dotibus ornaret, singulis singula dona ei elargientes: unus pulchritudinem, alius fortitudinem, alius sapientiam, alii similes alias perfectiones in eam conferebant, ut sic apud redderetur ad vindictam sumendam de Prometheo, qui coelestem ignem furatus fuerat, qui mortalibus vitam dabat. Ad eundem modum, non multi Di, multae tamen divinae personae in eo conveniunt, ut beatam Virginem, tanquam divinam Pandoram, variis muneribus cumularent. Pater impertivit fortitudinem, Filius sapientiam, Spiritus sanctus ardentem amorem; non ut illa puniret Promethei furtum, sed ut repararet primi parentis rapinam, cum ex arbore vitulo pomum rapiens, humanum genus perdidit. Atque ad illud idem significandum, existimo Davidem beatam Virginem vocasse montem coagulatum, iustar casel: vox enim hebraea: *Gebina, casus* interpretatur. *Mons*, inquit (*Psal. 67*), *Dei, mons coagulatus, mons pinguis*. Sicut enim variae pecorum laetes in unum coeunt, ut ex illis coagulatis coalescat casus, formam habens cuiusdam monticuli; ita virtutes omnium patriarcharum, prophetarum,

regum, et reliquorum omnium illustrium virorum, atque spiritualis omnium illorum pinguedines, *Mons pinguis*, in Virginem convenerunt, ut dignum Dei habitaculum illam constituerent. Et ideo notanter, postquam Prophetia (*ibi*), dixerat: *Mons Dei, mons pinguis, subiunxit: Mons, in quo beneplacitum est Deo, habitare in eo*. Sed nec praetermittam lectionem hebraeam notum argumentosalis congruentem: nam ubi nostra vulgata verit: *Mons coagulatus*: Hebraea originali legit: *Mons Bassan*; hoc est, ut Paraphrastes chaldaeus interpretatur, *Mons positus in excelsis*. Excelsi montes foere proceres illi antiqui Patres, Dei familiarissimi, quos nuper commemoravi. At cum beata Virgo sit *mons Bassan, mons in excelsis*, mons est collocatus in verticibus omnium montium (*Psal. 86*): *Fundamenta eius in montibus sanctis*. Celsitudo eius reliquorum omnium montium sublimia cacumina longe transcendit. Unde divus Bernardus (*serm. de nativ. Virg.*) dixit: *Magnum angelo, ut sit minister Domini: sed Maria sublimius quiddam meruit, ut sit mater, tantoque excellentior angelis facta numero singulari, quanto differentius prae illis nomen matris accepit*. Et Theodoretus (*lib. 3. in Cant.*), hanc celsitudinem Virginis contemplantis, ait: *Inter tot hominum, qui salvantur animas, Maria veluti electa columba, non solum pulchra nitens, et immaculata, sed etiam quae puritate cherubin, ac seraphim antecellit*. Hunc autem excessum explicans divus Thomas (*episc. 4*) inquit: *Excessit autem Maria angelos in tribus, in quibus excedebat ceteros homines; videlicet gratiae plenitudine, familiaritate Dei, et puritate*. Cum autem gloria in coelesti patria sit iuxta mensuram gratiae in via comparatae; consequens est, quod sicut Deipara omnes etiam spiritus angelicos plenitudine gratiae, et vitae puritate excelluit; ita nunc plenitudine gloriae in coelum assumpta eosdem longe superet.

Ceterum, cum d. Bernardus (*serm. 1. de Assump.*) dixit: *Advocatum praemisit peregrinatione nostra, quae tanquam Iudicis mater, et mater misericordiae, simpliciter, et efficaciter salutis nostrae negotia pertractabit*; non possum, non reliquis montibus, a me hucusque commemoratis, montem alium adnectere, *Monachum nuncupatum, eo quod figuram monachi cuculla induti referat*. Narrat de hoc monte Olau (*lib. 2. cap. 5*), confugium esse omnium, qui illum adire volunt, ita ut hostium infestatione securi maneat. *Em, inquit, natura excelsum fecit, ut a navigantibus, et periclitantibus conspiciatur, et adeat*. Atque huic monti pet-similis est mons Libani, quem Borchorius (*in suo mor. reduct. lib. 2*) ait, sublimem esse adeo, ut navigantes a remotissimis partibus illum intueantur; locumque securitatis dici, quia cedi, et aliae arbores valde aromaticae longe fugant omnia venenosa. Mons certe Libani est beata Virgo, quam propter proximam celsitudinem dignitatis Dei omnes conspiciunt. Mons etiam securitatis, ad quem fiscalioris omnibus etiam quantumcumque facinorosus peccatoribus adire fas est; quia, ut ait divus Bernardus (*serm. de verb. Apoc.*): *NIL*

austerum in Virgine, nil terribile, tota suavis est, et omnibus misericordiae sinum aperit. In omnes illam invocantes liberalem se exhibet, non obscure mihi significasse videtur Abacuch, cum loquens de orbe Christi ex Virgine, Austrum illum vocavit: *Deus ab Austro veniet*. Divus Hieronymus (*de Austro vento agens*) inquit: *Auster est piceura pluviarum: quando enim perfusa, pluviam mittit, tellurem humectat, herbas nutrit, arboras foecet, et totum terrae plantium virore decorat*. Hoc est minus b. Virginis in coelesti patria; laudricum esse omnium nostrum; piceura esse pluviarum, in-star benevoli Austri in sufflatione suae intercessionis, uberem gratiarum pluviam coelitus mittit, aridam animae terram foecundat, virtutum plantas nutrit, et aeternae fidelitatis spei virorem nobis conferit.

Ad extremum, ut paucis multa comprehendam, et velut in compendium ea redigam, quae ex montibus converti possunt in laudem Virginis, mons est Carmeli, et Saron, b. Virgo, qui decore, et pulchritudine insignes erant. *Decor Carmeli, et Saron*. Mons est Persiae, Belaxin nomine, serenitate conspicuus, in quo uberrimus nascebatur fons. Mons Britanniae, Maul cognominatus est, cuius fluitans aquis labore lassa, et defatigata animalia bibentia, valde recreantur, et pristinas vires recuperant, ut testatur Boccacius de mont. Britanniae. Mons Chindavillae, cuius meminit Olau (*lib. 2. cap. 20*). Mons est in Lycia, cuius mentionem faciens Plinius, ait, quod instar montis Ethnae diu, ac noctu ardentibus flammis est accensus: Mons Syethiae multum locuples auro, gemmis, et praesertim smaragdo. Mons Caucasus, qui semper nive candescit. Mons Armeniae, in quo requievit Arca Noe. Mons Thabor, qui puritas interpretatur. Mons Bethel aromatisibus repletus. Mons Euron, in quo David primitus regnavit super Iudam. Mons Ephraim, qui interpretatur, *frugifer*, seu *erescens*, ut adnotat divus Hieronymus (*de non. Hebraic.*). Mons Moria, in quo edificatum fuit templum, et David obtulit holocaustum, ut (*2. Paralipom.*) legimus. Mons Oreb, in quem ascendit Helias, et Zelo zelatus est pro Domino, ut (*3. Regum*) dicitur. Mons, in quo salvatur Loth ab incendio divinitus misso. Mons Garazayn, in quo dabatur benedictiones, ut Origenes adnotavit (*super Iosue 9*). Tandem mons est Oliveti, symbolum misericordiae, quam per illum impertiri nobis dignetur Pater misericordiarum, qui cum Filio, et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.